

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0326

0324

0330

0320

0335

0315

0375

0275

0425

0225

0825

313

hujus nominis IV Carolum fratrem sancti Ludovici regis Francorum invocavit contra Manfredum et Corradinum, et contra Gibellinos, quos cum Carolus devicisset et ambos diversis proeliis occidisset et ita victor Romam venisset, a Clemente Papa in ecclesia Lateranensi rex Jerusalem et Siciliae declaratus, et in usque hoc reges Siciliae titulum regni Jerosolymitani retinent.

Deinde anno Domini 1273. Gregorius X concilium in Lugduno celebravit, in quo patres longum tractatum habuerunt de terrae sanctae recuperatione, et Rudolphum Caesarem et Philippum Francorum regem impulerunt contra Mauros, pro recuperanda Jerosolyma, et pro expensis hujus transitus imposuit decimam per VI annos per totam Christianitatem solvendam, ordinans praedicationem crucis et concedens indulgentiam plurimam assumentibus crucem ad transfretandum et euntibus in bellum, ac etiam mittentibus unum vel plures suo pretio ad bellandum.

In hoc etiam concilio reprobavit Papa et prohibuit omnes religiones mendicantium, exceptis ordinibus Praedicatorum et Minorum, ut ultimis ecclesiae Dei et permansuris. Eremitas autem fratres sancti agni et Carmelitas dimisit in suspenso, donec aliud declararetur. Hoc autem ideo fecit, ne pluralitas mendicantium impediret pretium transfretantium. Sed an expeditio ad terram sanctam facta fuerit vel quomodo impedita fuerit, non invenio. Hoc autem scio, quod tota Italia per Gibellinos et Guelfos turbata erat, et Alemannia, Anglia et Francia intestinis bellis gravabantur, igitur ad succurrendum terrae sanctae non erant dispositi. Carolus igitur rex Siciliae et Jerusalem, frater regis Franciae, triplici jure rex Jerusalem appellari voluit: I. quia eum Papa coronavit; II. quia Siciliam, quae regum Jerusalem fuit, possedit; III. quia Maria, principis Antiocheni filia, cui regnum Jerusalem debebatur, quod Hugo ejus nepos occupaverat, (B) donavit sibi illud.

Ille ergo Carolus magnanimus dedignabatur nominari rex Jerusalem sine regni possessione, nolens esse rex nomine et non re, et deliberabat, quomodo et qua via posset regnum Jerosolymitanum obtinere. Habebat autem generum Balduinum,

Ende

Anfang